

OBSERVARET VARET OS EIVS. Struthionum meliu.

simbria & villo, non minus capite suo abutun- A tur, vt bestia quardam magis quam anis, licet pennata, breui capite, protracta ceruice, cetera altegradia. Hanc aiunt, cum delitescendum habet, caput solum planè totum in condensum abscondere, reliquam se in aperto relinquere. Ita dum in capite secura est, nuda qua maior est, capitur tota cum capite. Tales erunt & istæ minus quam vile tectæ. Hæc Tertull. Quid si, vt hoc nostro tempore, non modò faciem, & aures, & ceruicem, & manum oblongam, verumetiam pectus, & vbera prostitui passim vulgi conspectibus animaduertisset?

Porro annotabis, quod nonnulli in sacris locis otiosè alios circumpiciunt, hoc nonnullam ex officio superiores vtiliter facere, ne quid præter decorum fiat.

Quod in labiis prominet *αὐχένος* dicitur: ipsa autem laborum sectio, quæ *τὸ στόμα* efficit, *μαύλα* & *ἀγέρας* vocatur, auctore Polluce: *αὐχένος* autem siue *αὐχένος* laborum mutuus congressus. Labia came fungosa musculus quatuor confusa, cuteitem, & tunica constant: à quibus musculus octo motuum differentia perficiuntur, quemadmodum Galenus libro 11. de vsu partium demonsttrauit.

Igitur labia eius mouebantur. Non enim semper maxima quæque orationis contentio corporis sensum suspendit: sed fit etiam nonnunquam, vt incenso animo artus incalescant, & animi motibus corpus ipsum quatiatur, maxime vbi rerum corporearum imaginibus meditatio ex parte confecta est. Omnem verò sensum suspendi, ac præterea etiam vacare intellectum, incensa solum atque inflammata voluntate nequaquam credibile est, nisi quis ex ignorantia putet gratiam naturam destruere, aut certè, quod verisimile est, non didicerit actum virtusque facultatis indiuisam œconomiam.

Tertullian. hoc ipsum quod nobis videtur, cum veritate consentire pluribus affirmat, libro de resurrectione carnis cap. 15. contra negantes resurrectionem. Sic enim ait: Age iam scindant aduersarij nostri carnis animæque contextum, prius in vlla administratione, vt ita audeant scindere illud etiam in vita remuneratone. Negent operationum societatem, vt meritò possint etiam mercedem negare. Non sit particeps in sententia caro, si non fuerit & in causa. Sola anima reuocetur, si sola decedit. At enim nò magis sola decedit, quàm sola decucurrit illud vnde decedit: vitam hanc dico. Adeo autem non sola anima transigit vitam, vt nec cogitatur, licet solos, licet non ad effectum per carnem deductos, auferamus à collegio carnis. Siquidem in carne, & cum carne, & per carnem agitur ab anima, quod agitur in corde. Hanc denique carnis speciem, arcem animæ, etiam Dominus in suggillatione cogitatum taxat. Quid cogitatis in cordibus vestris nequam? Et, Qui conspexerit mulierem ad concupiscendum, *iam adulterauit in corde*. Adeo & sine opere & sine effectu, cogitatus, carnis est actus. Sed etsi in cerebro, vel in medio superciliorum discrimine, vel vbi vbi Philosophis placet, principalitas sensu consecrata, est, quod hegemonicon appellatur, caro erit omne animæ cogitatorum.

Nunquam anima sine carne est, quandiu in carne est. Nihil non cum illa agit, sine qua non est. Quare adhuc an cogitatus per carnem administratur, qui per carnem dinoscuntur extrinsecus. Voluerit aliquid anima, vultus operatur indicium: facies intentionum omnium speculum est. Negent factorum societatem, cui non possunt negare cogitatorum. Hæc Tertull.

Et vox penitus non audiebatur. Docet nos Philostratus. Philostratus l. i. vita Apollonij cap. 10. quomodo ille silentium quinquennale professus iuxta præscriptum disciplinæ Pythagoricæ, Aspensij tamen, Pamphiliz vbe non ignobili, populi furentis impetum seditionemque sedauerit, & alia multa composuerit, solo manuum gestu, vultuque ad persuadendum composito. De

VERSUS 13.

Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia eius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam.

S. Chryf.

HINC mihi mulieris, inquit Chrysof. homil. 70. ad Popul. Antioch. pietatem considera, vox, inquit, eius non audiebatur, labia verò tantum mouebantur. Obtinere volens ista à Deo, accedit non fatiscens, nec oscitans, neque se scabens, aut negligens. Nonne poterat & sine oratione Deus præbere? Nonne sciebat & ante orationem mulieris desiderium? Sed si ante petitionem dedisset, non apparuisset mulieris studium, non virtus fuisset manifesta, non inde præmium possedisset. Et iterum: Nec enim tam voce opus est, quàm cogitatione: neque manuum extensione, quàm animi intensione: neque figura, sed intellectu. Non enim quia claram & magnam edidit vocem, propter hoc audita fuit, sed quoniam intus in corde multum clamabat. Hæc S. Chrysof. Habet igitur cor etiam linguam suam. Quid clamas ad me, inquit ebat Dominus ad Moysen, cum ne verbum quidem mutiret: sed feruens affectio Deo nota est, & quid ipsa requirat Deus nouit, & huiusmodi sermonè melius aure percipit: maxime si præ dolore ac gemitu incalcescat. Quemadmodum enim ferunt Delphines auditu potissimum valere flante Aquilone: ita & Deus nostras preces, cum aduersis premimur, facilius non modò audit, verumetiam exaudit. At contra de quibusdam per Prophetam aiebat, *Frustra colunt me*, quoniam etsi labiis illi honorem impenderent, cor tamen eorum longe ab eo abscesserat: ab eo cultu quem foris exhibebat, intus abhorrebat.

Duplici ratione noluit Deum ante orationem Anna prolem concedere.

Maior facundia cordis, quam oris.

TANTUMQUE labia eius mouebantur. Nimirum illa potissimum, cum in eius faciem oculos Heli coniecisset, obseruabat non sine quadam animi indignatione, cernens labra quidem moueri, vocem autem nullam emitte. Græcè labrum *χάλας* dicitur *αὐχένος* τὸ *ἄθεν κόρπος* hoc est, quod sermonem emittat & fundat.

Labia motuum species octo obisist. Galenus.

Tertullian. Anima & corporis indiuisa societate actionu.

Pantomimorum multa musica.